



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XVII. De solutione usuræ juramento firmata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XVII.

De solutione usurae juramento firmata.

CAjus petiit à Titio mutuum, quod huic ille noluit concedere, nisi Cajus solvendas ex mutuo usuras adjecto etiam juramento ipsi Cajo promiserit: consensit in hæc omnia Cajus.

Quær. Utrum Cajus ad solvendas usuras ex hoc juramento obligatus maneat?

Synopsis.

1. Promissio ad solvendas usuras secluso juramento est certò nulla.
2. Ad has tamen præstandas suo juramento est obligatus Cajus.
3. Solutas tamen usuras statim repetere Cajus poterit.
4. Solvitur objectio ex lege 15. § de solutionibus. deprompta.
5. Nec ullum jus Titio ex hoc juramento accessit.
6. Eò quòd istud obligationem antea factæ promissionis non confirmaverit.
7. Hic ad solvendas usuras ex officio, à judice compelli Cajus non poterit.
8. Sed ipse Titius, ut remittat obligationem.
9. Solutas usuras non poterit repetere Cajus, si juraverit, se illas non esse repetiturum.
10. Denuntiare tamen Prælato Ecclesiastico poterit, ut juramentum remittat.
11. Invalidum erit juramentum, quo Cajus etiam hanc denuntiationem se omissurum juraverat.
12. Quandonam corruente principali corruat etiam accessorium?
13. Juramentum non est promissum.

- missioni accessorium, sed assertioni de futuro.
14. Cupiditas pecuniæ aliter concurrat ad promissionem, quàm ad juramentum.
 15. Qualis inter juramentum & simplicem promissionem distantia detur?
 16. Juramentum hoc est mera Numinis invocatio.
 17. Quandoam habenti actionem etiam detur exceptio?
 18. Solutum statim repetens quandoam repelli possit?
 19. In hoc casu non solvitur debitum, sed donatur indebitum.
 20. Per injuriam extortum non est donatio.
 21. Satisfit Legi, qui sic solvit: §. de solutionibus.
 22. Remissa per Titium obligatio etiam divinam tollit.
 23. Qualiter juramentum sequatur naturam actûs?
 24. Juramento obligatur mutuarius licet ultro usuras promiserit.
 25. Juramentum, quod ratione sui objecti est illicitum non obligat.
 26. Talis solutio est ante juramentum, non autem post

- istud cooperatio illicita.
27. Jurans, se alterum occisurum ad hoc non obligatur.
 28. Solutio usuræ præscindens à necessario vel ultro oblata, est indifferens.
 29. Datur justa causa solvendi has usuras.
 30. Non potest accipiens usuras retinere, licet alter teneatur solvere.
 31. Datur hæc solvendi obligatio, licet nulla necessitas exigendi mutuum adfuerit.

Resolvitur Quæsitum.

Queritur: Utrum ad usuras solvendas ex hoc juramento ipse Cajus obligatus maneat?

Supponendum tanquam certum, hanc obligationem Caji ad solvendas Titio usuras seclusò juramento esse nullam. Prob. vñ solius promissionis obligatur Cajus soli Titio; sed huic non potest obligari. Prob. min. Titius ex hac obligatione nullum jus ad petendum & acceptandum lucrum usurarum, acquirit: ergo Cajus ad illas solvendas non est obligatus, Prob. antec.

Y

Ca-

Cajus semper malefacit, quando petit, & recipit usuras; ergo Cajus nullum jus ad petendas, & recipiendas usuras acquirit.

2 Dico, Cajum ad solvendas juramentò promissas Titio usuras esse obligatum. Ità communiter recepta sententia. Probat. Juramentum semper est observandum, quotiescunque ejus observatio non vergit in dispendium salutis æternæ; sed observatio hujus juramenti, & solutio usurarum non vergit in dispendium salutis æternæ ex parte Caji promittentis juramentò: ergo debet observari. Major constat ex cap. cum contingat. de juramento. minor prob. solvere usuras non est res illicita, sed potius licita, & actio ad fidelitatem, & veritatem pertinens: ergo observatio hujus juramenti non vergit in dispendium æternæ salutis.

Prob. eadem conclusio ex cap. Debitorum: de jurejurando. ibi: Debitorum ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant (simplici, inquam, promissione) cogi non debent; si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt domino reddere juramentum.

3 Dico 2. Servatò hoc juramentò, & usuris solutis, hæc statim repeti à Titio poterunt. Ità sentiunt Covarruvias, Suarez, Lessius lib. 2. de just. c. 17. dub. 7. n. 51. Guttier. Sanchez. lib. 3. summa cap. 11. n. 9. Palao de Juram. disp. 2. p. 3. n. 6.

Prob. Præstita solutione usurarum Cajus jam satisfecit suæ obligationi: ergo potest repetere. Prob. antec. Cajus se non obligavit ad non rependas usuras, sed ad has solvendas: ergo &c.

Prob. idem 2. ex dicto cap. debitorum in fine. ibi: cum usura soluta fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi.

Prob. 3. ex cap. ad audientiam. de iis, quæ vi. ubi, qui beneficio suo renunciare juravit, & renunciavit, mandatur ei Ecclesiam restitui non obstante juramento prædicto, quia non ad repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur.

4 Objicies contra hanc ultimam conclus. Si statim Cajus repetat solutas Titio usuras, tunc non deobligatur à sua obligatione: ergo non poterit illas solutas repe-

3
repetere. Prob. antec. ex lege 15. ff. de solutione. hic dicitur: qui sic solvit, ut reciperet, non liberatur: quemadmodum non numerantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur. Resp. neg. antec. ad legem allatam repono, loqui legem, quando solvitur eo pacto & conditione inter partes constituta, ut statim solutum repetatur, tunc enim est, ac solutum non fuisset. Resp. 2. Esse sermonem de illa solutione pecuniæ, quam potest retinere is, cui fit solutio absque onere restitutionis; sed has usuras non potest retinere Titius; ergo &c.

Resp. 3. Legem intelligendam esse de pecunia debita ei, cui fit solutio: non de pecunia, cujus solutio solum est debita Deo, qualis est pecunia usurarum promissa juramentò.

5 Urgebis. Titius usurarius acquisivit ex hoc juramento jus quoddam: ergo usurae sunt ipsi, & non soli Deo debitæ. Resp. neg. antec. & probatur contrarium ex dicto cap. *Debitores*, ibi: *si juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum*: ergo solus, quasi Deus est, qui ex tali juramento jus & actionem acquisi-

vit: quia solius Dei mentionem facit.

Urgent: Hoc juramentum præmissò antea contractu adjunctum confirmat obligationem antea factam: ergo hæc solutio est etiam Titio debita.

Resp. neg. antec. sed obligationem potius introducit respectu Dei: & hinc est juramentum per se stans, seu inductorium obligationis, non tamen confirmatorium. Ità Bartolus in legem, *si quis pro eo*. ff. de fideiussoribus. n. 4. & seq. Covarruvias cum aliis de pactis. 2. p. §. 3. n. 2.

Urgent: Talis jurans potest à 7
iudice compelli ad solvendas usuras: ergo Titius usurarius habebit jus ad usuras.

Resp. potest à iudice compelli ad solvendas usuras ex suo officio: conc. antec. ad petitionem partis seu Titii: neg. antec. & conseq.

Imò Titius debet potius cogi, 8
ut obligationem remittat, qua remissione facta cessat obligatio juramenti; quod hanc tacitam conditionem habuit; nisi Titius remiserit obligationem.

Dico 3. Si Cajus non tantum 9
juraverit, se usuras soluturum,

rum, sed neque solutas esse repetiturum, tunc solutas non poterit repetere. Ità sentiunt Sanchez *lib. 3. summae cap. 11. num. 9.* Suarez *lib. 2. de juramento.* Bartolus *Lege: si quis pro eo. ff. de fideiussoribus.* Covarruvias, Gutierrez, Palao *n. 8. in disp. 2. de Juram. par. 3.* Prob. *ex cap. ad audientiam. & ratione.* talis non repetendarum solutarum usurarum executio potest fieri sine dispendio salutis aeternae: cum sit de re licita.

¹⁰ Dico 4. Talis tamen posset denunciare Praelato Ecclesiastico, ut ipse ex officio remittat juramentum, aut ut usurarium compellat reddere debitum. Ità Glossa in supra dictum cap. ad audientiam. Prob. 2. hac ratione nihil fit contra juramentum: Prob. Cajus non juravit se non denunciaturum hanc esse Episcopo; sed solum, se non esse repetiturum solutas usuras: ergo nil fit contra juramentum.

¹¹ Dico 5. Quòd si Cajus jurasset, se neque denunciaturum esse Titium apud judicem, tale juramentum non fore validum. Ità divus Thomas *2. 2. q. 89. art. 7. ad 3.* Prob. Tale juramentum

est de re illicita: ergo. Prob. antec. Tale juramentum est factum de omissione actus cujusdam virtuosi, & obligatorii: ergo est de re illicita. Prob. antec. est virtus & saepe obligatoria denuntiatio, quae non ad vindictam tendit, sed ut alius malè retentum restituat: sed hìc agitur de tali denuntiatione: ergo &c.

Objicio contra primam conclusionem: promissio solvendi usuras est invalida: ergo etiam juramentum eidem adjectum. Prob. conseq. accessorium sequitur naturam principalis, & promissio est principale: ergo si promissio est nulla, etiam juramentum adjectum erit nullum, antec. habetur *in regula accessorium: de Reg. Juris in 6. & reg. cum principalis. ff. de Reg. Juris.* Resp. conc. antec. nego conseq. in probatione dist. antec. corruente principali etiam corrui accessorium, si causa irritans principale concurrat in accessorio: conc. antec. si in accessorio causa irritans principale, non concurrat in accessorio: neg. conseq. causa irritans principale est turpitudine extorquentis, ob quam nullum jus acquisivit: quia autem

tem

tem hæc turpitudine non reperitur ex parte Dei, cui fit juramentum, hinc juramentum tenet. His addo, non jurari contractum, sed solutionem, seu expletionem contractûs, & quidem principaliter; hinc juramentum in ordine ad inducendam obligationem religionis circa objectum contractûs non est accessorium, sed principale. Dein irritatio potest cadere supra solum contractum, non autem supra juramentum.

Secundò cum Glossa respondetur: disting. illud antecedens: corrumpente principali corrumpit semper accessoriû, neg. corrumpit subinde etiâ accessoriû: conc. ant. & neg. conseq. Regula: *Dum principalis. ff. de Reg. Juris.* dicit: cum principalis causa non consistit, *plerumque* neque ea quidem, quæ sequuntur, locum habent. Adducit etiam Glossa in illo cap. *accessorium*: varia exempla, in quibus accessorium tenet, corrumpente principali.

13 Tertiò responderi potest, promissionem non esse in hoc casu principale, cui accedat juramentum, eò quòd illam non confirmet, sed sit accessorium assertioni de futuro, illamque con-

firmet; atque ex hac causa, et si promissio corruat, non corrumpit juramentum, quia non corrumpit principale, cui innititur; quia hoc juramentum non est suppositorium obligationis, sed illius introductorium, ac proinde non innititur promissioni, sed assertioni.

Urgent: Causa irritans principale concurrens etiam ad accessorium: ergo nulla distinctio. Prob. antec. causa principalis est turpitudine exigentis; sed hæc etiam concurrens ad accessorium, scilicet ad juramentum: ergo causa irritans principale irritat etiam accessorium. Prob. min. cupiditas obtinendi usuras adigit Titium, ut juramentò debuerit sibi promittere Cajus solutionem usurarum: ergo turpitudine exigentis concurrens etiam ad accessorium, scilicet juramentum. Resp. dist. hoc ultimum antecedens: cupiditas obtinendi usuras adigit Titium ad juramentum à Cajo expetendum, ut tamen hoc non reddiderit illicitum, prout illicitam reddidit simplicem promissionem: concedo: ita ut hoc juramentum reddiderit etiam illicitum: negatur; non

obstante enim hac cupiditate juramentum tamen est de re licita, & ipsummet in se licitum.

15 Objicio 2. Contra eandem primam conclusionem in *cap. jurament. causa, 22. q. 5.* dicitur. Inter juramentum, & simplicem loquelam (hoc est) promissionem non debere esse distantiam: ergo si promissio non est obligatoria, neque juramentum Resp. dist. antec. intra loquelam & juramentum non debet esse distantia quoad necessitatem cavendi mendacium: concedo, quoad cætera etiam: negatur, tam promissione, quàm juramentò obligamur, ne mendacium committamus, & ut habeamus intentionem rem promissam, & juratam exequendi: non est tamen æquiparatio inter ista quoad gravitatem culpæ, neque quoad obligationem inde resultantem.

16 Objicio 3. Tale juramentum fit Deo: ergo non valet: prob. juramentum Deo factum debet esse de re meliore, & non de indifferente, quia est votum: solutio autem usurarum est quid indifferens. Resp. hoc juramentum non esse promissorium, sed

meram invocationem Dei, ut testis futuræ solutionis. Dein res in se indifferens potest fieri honesta ob finem honestum, nihil ergo promitto per hoc juramentum ipsi Deo.

Objicio 4. Talis debitor habet actionem ad repetendas usuras, cùm primùm solverit: ergo à fortiori habet exceptionem contra agentem. Prob. consequ. *Lege invitus. ff. de Regulis §. 1. & Lege 1. §. superficiem ff. de Superficiebus. & Reg. 71. qui ad agendum. de regulis Juris in 6. cui datur actio, datur exceptio.* ergo datur exceptio. Resp. dist. antec. probatæ consequentiæ, cui datur actio, datur etiam exceptio regulariter, & secundùm eam rationem, conced. semper: nego antec. & consequ. cùm in præsentem juravi, me usuras soluturum, tunc sicuti ob hoc juramentum non datur actio ad utendum re promissa, nisi priùs illam solverim, ità ante hanc solutionem etiam non datur exceptio; datur tamen actio ad repetendam eam datam, & tunc datur etiam exceptio, adversùs quamlibet impediens repetitionem.

Objicio 5. Dolò petit, qui sta-

statim restituere debet, idéoque exceptione doli repelli potest.

*Lege, dolo. ff. de doli mali, & me-
zús exceptione, & Regula. dolo 56.
de Reg. Juris in 6.* Resp. Talis
exceptione repelli potest, si spe-
ctentur jus & actio, quam habet
ad petendum: conc. si spectetur
alia circumstantia extrinseca,
qualis est religio juramenti: ne-
go antec. & conseq.

19 Objicio 6. Si solvitur debi-
tum, non repetitur. *Lege Julian.
ff. de conditionibus indebiti, & le-
ge: Si procurator, & lege judex. eo-
dem tit.* Resp. in hoc casu non
solvi debitum, sed donari inde-
bitum.

20 Urgent: In dicta lege dicitur:
consultò dari, donatio est: ergo
talis donat. Resp. dist. donatio
est, quando omnino liberaliter
datur, concedo: si per injuriam
datum extorqueatur, est dona-
tio: negatur, in hoc casu jura-
mentum per injuriam est extor-
tum, uti & consequens usura-
rum solutio.

21 Urgent: Non videtur jura-
mentò liberatus, qui sic solvit, ut
postmodum repetat: *Lege: qui
sic solvit. ff. de solutionibus.* Resp.
neg. antec. quia in justa tamen

solutione juramento est jam sa-
tisfactum.

Objicio 7. Ponamus, quòd 2 2
ipse usurarius remittat hanc sol-
vendi obligationem ipsi juranti,
non potest dici, quòd jurans sit
deobligatus: ergo &c. Resp.
fore deobligatum.

Contra est, per solam hanc
remissionem factam ab homine
non est sublatum jus, quod Deo
acquisitum per juramentum erat:
ergo jurans à solutione non erit
deobligatus. Prob. antec. homo
non potest sua voluntate Deo
auferre suum jus: uti Petrus non
potest sua condonatione facta
Joanni circa debitum, quod e-
tiam Paulo hic debet, auferre
Paulo suum jus, si tam Petrus,
quàm Paulus ad idem debitum
Joannis jus æquale habeant.

Resp. Nego antec. in proba-
tione dist. antec. homo non po-
test Deo auferre jus independens
à condonatione hominis:
conc. dependens ab ista, nego
antec. Deus tamdiu vult retine-
re jus ex juramento acquisitum,
quamdiu usurarius non remise-
rit solutionem: ergo si hanc re-
misit, Deus cedit suo jure; si
Paulus diceret, se retinere hoc
jus

jus in Joannem, quamdiu Petrus suum jus non remiserit Joanni, tunc utique remisso hoc jure etiam Paulus remisisset; est igitur jus Dei conditionatum, si scilicet usurarius non remiserit, nec homo iste acceptaverit.

23 Objicio 8. Juramentum sequitur naturam actûs: ergo si promissio est nulla, etiam eidem juramentum additum erit nullum. Resp. dist. antec. juramentum sequitur naturam actûs quoad obligationem, & quoad esse firmum, vel irritum: nego, quoad sensum verborum: quoad rationem liciti, vel illiciti: item quoad alias condiciones tacitas, quas contractus includit conc. antec. & neg. conseq.

24 Objicio 9. Vel mutuarius obligaretur ad solvendas usuras ex suo juramento solum tunc, quando necessitate quadâ compulsus mutuum cum usuris accepit; vel obligaretur etiam, quando ultrò extra necessitatem ipsemet usurarium ad hoc impulit: neutrum potest dici: ergo nulla est nostra conclusio. Respondetur, quòd etiam in posteriore casu obligaretur.

25 Urgent: Tale juramentum

foret illicitum: ergo non obligat, tali juramentò induceretur alter ad peccandum: ergo foret illicitum: Prob. conseq. est illicitum inducere alterum ad peccandum: sed incitans ad dandum mutuum cum usura, inducit alterum ad peccandum: ergo tale juramentum foret illicitum: Subsumunt: sed si est illicitum, tunc non obligat: ergo tale juramentum non obligat. Probat. antec. juramentum, quo juro, me alterum occisurum, non obligat, quia est illicitum: ergo si etiam hoc juramentum est illicitum, non obligat.

Resp. neg. antec. subsumpti, in probat. dist. antec. juramentum, quo juro, me esse occisurum alterum, non obligat, quia est illicitum, quocunque modo: nego antec. quia est illicitum ratione objecti illiciti, circa quod versatur: conc. antec. & dist. conseq. ergo etiam nostrum juramentum est illicitum, si esset tale ob illicitum objectum, quod se facturum jurans promittit: conc. conseq. si est illicitum non ex objecto, sed ex parte ipsius actûs juratorii: neg. conseq. objectum hujus juramenti est solu-

lutio usurae: haec autem non est illicita: ergo non est de objecto illicito.

26 Urgent: Tale juramentum ab inducente alterum sine necessitate ad mutuum usurarium est etiam de objecto illicito: ergo non obligabit, Prob. antec. est de solutione mutui cum usura extorti sine necessitate: sed talis solutio est illicita: ergo juramentum est de objecto. Prob. min. est voluntaria cooperatio & inductio ad peccatum & acceptio-nem usurae, sed talis cooperatio est illicita. Resp. dist. antec. hujus ultimi objecti.

Talis solutio est voluntaria cooperatio ad alterius peccatum ante editum juramentum: conc. antec. post praestitum juramentum neg. antec. & conseq. post tale illicitè praestitum juramentum obligatur jurans, ut Deum testem veracem reddat, implendo promissum: ergo obligatur ob reverentiam Numinis, in testimonium adducti.

27 Urgent: Ergo jurans, se alterum occisurum, etiam ob reverentiam Numinis, ut hoc verax reddat, obligabitur ad alterum

occidendum, hoc est falsum: ergo etiam priùs. Resp. disparitatem esse, quia occisio hominis est actio intrinsecus mala, non autem solutio usurae; reverentia autem Dei non exigit, ut ob istam faciamus rem intrinsecus malam.

Urgent: Etiam solutio usurae²⁸ ab ultrò petente tale mutuum est mala, quia est cooperatio ad alterius malum: ergo nec ad hanc obligabitur jurans solutionem usurae.

Pro responsione noto: solutionem usurae, ut sic seu prout praescindit ab usura ex necessitate & indigentia mutui accepti: vel ab usura sponte extorta ab usurario, est indifferens, & in se non mala: ergo praestitò tali juramento obligatur talis ad solutionem usurae, non qua malam, sed prout praescindit ab actu, priore malo & juramento antecedenti.

Omnino similis instantia habetur in promittente & solvente pecunias, quas promisit mulieri, si copiam sui corporis sibi fecerit: haec supposita fornicatione non est mala, & debet impleri.

Z

Ob.

29 Objicio 10. Contra primam conclusionem jurans nullam habet solvendi usuras causam justam : ergo non tenebitur solvere. Prob. antec. non potest talis causa afferri : ergo &c. Resp. neg. & causa est , ut appareat quantopere debitor suorum promissorum fidem fervet, quia saltem possessio pecuniæ per illam in eum transfertur : ergo cum ex justa causa talis solutio sit facta , non erit illa cooperatio ad peccatum recipiendi usuras , sed solum promissio illius ex justa causa.

30 Urgent : Si jurans tenetur solvere usuras , tunc etiam accipiens potest illas retinere , nec solvens eas repetere , & compellere accipientem ad illas restituendas poterit.

Resp. neg. antec. Ratio est ; quòd accipiens nullum habeat

ius , nec dominum earum ipsi acquisitum fuerit , eò quòd illas sine omni justo titulo accipiat , sed per injuriam extorserit.

Urgent : Saltem solutæ pecuniæ non possunt repeti , si nulla necessitate ad petendum mutuum compulsus jurans fuerit , sed ipse incitaverit alterum ad dandum mutuum cum usuris : ergo &c. Prob. conseq. si mutuarius incitavit mutuantem , tunc hic illi nullam injuriam intulit : ergo solutæ pecuniæ non poterunt repeti.

Resp. neg. antec. in probatione transf. antec. neg. conseq. in hujus probatione nego antec. quòd scilicet injuria illata sit unica causa : sed est adhuc alia , turpitudine scilicet , ex parte recipientis peccatum continens,

